



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

II. Bischof Wiger von Brandenburg überläßt dem Stifte zu Leitzkau drei Dörfer und das Archidiaconat seiner Diöcese, im Jahre 1139.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

II. Bischof Wiger von Brandenburg überläßt dem Stifte zu Leitkau drei Dörfer und das Archidiaconat seiner Diöcese, im Jahre 1139.

In nomine sancte et individve Trinitatis. Ego Wigerus, Dei gratia Brandenburgensis Episcopus. Ad hoc nobis pastoralis officii curam commissam credimus, vt religiosas personas in Episcopatu nobis commisso congregare et beneplacentem religionem studeamus modis omnibus propagare eisque, ne in hujus infirmitatis tempore a servitute Dei deficiant, subsidia temporalia providere. Notum igitur sit omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris, quod ego Wigerus, Dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, super altare B. Petri quod est in ecclesia sita in villa que Lietzke dicitur offero in usus fratrum secundum regulam B. Augustini et formam a beate memorie Norberto Magdeburgensi Archiepiscopo traditam ibidem degentium quicquid utilitatis in tribus villis habui vel habere potui in agris, pascuis, pratis, silvis, decimationibus, uvis et inuis cultis et incultis acquisitis et acquirendis, quarum nomina hec sunt Ladeburch, Lochow, Ceffarue. Preterea Gouene et Niendorp cum omnibus suis appenditiis et quicquid agrorum habui sub aratris juxta ipsam villam Lietzke contradimus et Confirmamus predicte ecclesie in usus fratrum supra memoratorum. Committimus etiam fratri Lamberto presenti preposito ipsorum eiusque successoribus curam ipsius ecclesie et Archidiaconatum ipsius et vicem nostram, Nec non et Archipresbyteratum in toto nostro Episcopatu. Tradimus etiam tam ipsi quam fratribus sibi commissis eorumque successoribus libertatem et auctoritatem cum oportunum fuerit eligendi Episcopum et prepositum in ipsa ecclesia. Quod si ibi idonea persona non inueniretur, quod non facile futurum credimus, de qualibet alia ecclesia ejusdem canonice professionis religiosam et idoneam personam in Episcopum aut prepositum eligendi libertatem habeant et auctoritatem. Et ut hec nostre traditionis siue Confirmationis charta futuris temporibus firma semper et Inconvulsa permaneat, Sigilli nostri Impressione eam signamus et banni nostri auctoritate roboramus. Si que ergo in posterum ecclesiastica secularisue persona citra hanc nostre Institutionis paginam ausu temerario venire presumpserit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini aliena fiat, quousque factum suum digna satisfactione penitentie emendet. Hujus confirmationis testes sunt Evermodus prepositus ecclesie beate Marie in Magdeburgh cum conuentu suo. Henricus prepositus sancti Victoris in Gratia Dei, Lambertus ipsius loci prepositus, Yuo sacerdos, Godescalcus sacerdos cum reliquis, Rudolffus aduocatus, Hademarus prefectus in Magdeburgh, Sifridus prefectus in Liezecha cum plebe ibidem degente. Facta est hec charta anno dominice Incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XXXIX<sup>o</sup>. Indict. II. Epacta VII, Concurrente VI. Regul. XXXVIII. Regnante Conrado rege Augusto.

Auscultata et diligenter collationata est presens Copia per me Arnoldum Kramptzo Clericum civitatis Halberstadensis publicum sacra imperiali auctoritate Notarium et concordat cum suo vero originali sigillato quod attestor manu propria.

Nach einer Copie des 16. Jahrhunderts im Dom-Archive zu Brandenburg.